canonicus Misnensis, dominus Heinricus Burlaban noster miles, Gothschalcus et Wichpertus nostri capellani, et quam plures alii fide digni. Datum in ecclesia nostra Misnensi, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo V. Idus Junii pontificatus nostri anno quarto.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an rothseidenen Fäden.

No. 212. 1270.

Probst und Convent des Nonnenklosters zu Sitzenroda verkaufen an den Vicar der Domkirche Conrad von Burnis Geldzinsen von mehreren Häusern und Grundstücken in Meissen.

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Albertus dei gratia praepositus, Margareta priorissa, Conegundis celleraria, Gertrudis custos, Petrissa subpriorissa totusque conventus sanctimonialium in Sitzenrode universis Christi fidelibus praesentem litteram inspecturis tam praesentibus quam futuris salutem in eo, qui est omnium vera salus. Quoniam ut ea quae in tempore fiunt non tollat oblivio, non temporum transeant intervallo, necesse est, ut scripti testimonio perhennentur. Noverint ergo universi, quod nos habito prudentum consilio, de voluntate nostri capituli totius pariter et consensu domino Conrado dicto de Burnis, Misnensis ecclesiae perpetuo vicario, pro XX^{ti} marcis argenti et una vendidimus quasdam areas sitas in civitate Misnensi, tantum census annui solventes, videlicet curia Meinwardi VIIIℏ solidum, curia Heinrici Albi VIIIℏ solidum, curia Petri VIIℏ solidum, curia Petri institoris VI solidos, curia Vlrici III solidos, curia Hermanni III solidos, curia Conradi institoris III solidos, curia Pavonissae et Heinrici III solidos, curia Nicolai XIIII denarios, curia Gotheardi V solidum, curia Sweue XVIII denarios, hortus in novo foro VI solidos, de Dubnitz VI solidos, et iste census Vribergensium denariorum legalium in festo beati Martini annis singulis debet dari. Notandum autem, quod proprietatem, quam habuimus in censu sive marcis supradictis, cum omni iure et utilitate resignamus et ipsam proprietatem in dominium ecclesiae Misnensis transferimus, ut sint proprietas eiusdem ecclesiae; et iam dictus dominus Conradus de Burnis dictum censum ab eadem ecclesia iure hereditario possidebit et eundem censum dare vel vendere cui vult poterit, vel legare quocunque voluerit aliasque facere et ordinare de ipso quicquid duxerit ordinandum. Nos vero iam dictum argentum, quod accepimus pro censu supradicto, in usum ecclesiae nostrae conversum publice profitemur. Emimus enim cum eodem argento quandam silvam a domino Heinrico de Liuenowe, de qua utimur competenter. Ut autem iste contractus pro bono ecclesiae nostrae habitus immutabilis sit, et a posteris nostris ex pravis et iniquis perversorum machinationibus nullatenus infringatur, praesentem litteram super eo in testimonium conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari, et eandem litteram ad cautelam abundantem sigillo reverendi patris ac domini nostri Witigonis Misnensis episcopi petimus confirmari. Huius rei testes sunt dominus Sifridus dictus de Pigauia et dominus Conradus de Boruz, Misnenses canonici, et dominus Sifridus dictus de Pruscia, et dominus Heinricus viceplebanus in